

V
g
4688





OK. 191.

OK. 191. **ORATIO PRIMA**



De

REFORMATIONE
RELIGIONIS, FACTA DEO FA-
VENTE PER D. LVTHERVVM, RECEP-
ta ab Academiis florentissimis, approbatâ nec
non confirmatâ ab illustrissimis Germa-
niæ Principibus.

Habita

à

M. PETRO STÆRMONTIO,
Generosiss. Proc. Super. Aust.
Alumno,

IN CELEBERRIMA ACADEMIA
Vitebergensi, in Auditorio majore Collegij novi,
applaudente honestissimorum doctissimorumq;
juuenum corona.

Ad imit. IV. Phil. cont. Ant. facta.



WITEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri, Anno 1597.



517.111
GENEROSIS NEC NON ILLV,
stribus D. D. Provincialibus, in Superiore Austria mag-
istratum gerentibus, fidei orthodoxæ columnis, invictæq;
Religionis defensoribus, D. D. & Protecto-
ribus meis inclutis S.

Diogenes Philosophus nummis aliquot à Diotimo Caryfo
acceptis, cum non haberet, unde munus illud rependere
posset, ad Diotimum dixisse, refert Ælianus: *Dij tibi lar-*
giantur tantum, quantum animo tuo cogitas & cupis. idem quoq;
mihî, postquam alia defunt munuscula, faciundum censeo, Pro-
ceres generosi ac inclyti, quo circa gratias, quantas animo cogi-
tare & cupere possum maximas, vobis habeo & ago, pro inig-
nibus beneficijs mihî antehac præstitis: precorq, ut Deus tan-
tum vobis largiri dignetur, quantum ad Superandos duplici ti-
tulo hostes, ad coercendos rebelles, servandosq; patriæ cives
fatis esse putatis. valete, meq, ut facitis, vestris iuvate & nuti-
bus, & auxilijs, 4. calend. Iul. VVitebergæ.

V. V. D. D.

Alumnus

M. Petrus Stærmontius.



ORATIO



*Emo vestrum, Aditores or-
natissimi, non nescit, quæ mon-
stra, quamq; detestandos edi-
derit partus Schola Epicu-
reorum; qui adeo à veritate
desciverant, in extrema de-
mentia ut primam felicitatē
esse positam somniarent: adeo omnem humanita-
tem excusserant, ut amplius non hominum, sed pe-
cudum voce uterentur, summum BONUM in vo-
luptate collocantes. Sed quaeso, quod hoc esse potest
summum Bonum? quod non homines modò, sed
pecudes etiam consequi possunt. quæ hac felicitas?
quacum omne turpitudinis dedecus esse solet con-
junctum. quæ nã ista Beatitudo? quam propemodũ
innumera miseria comitantur. tantum abest ut vo-
luptas sit summum Bonum, ut summum potius
malum appellari possit & debeat. Cum verò su-
perioribus Annis, & nostra hac atate reperti sint
non pauci, qui pro Dei verbo, humana somnia &
nescio quas traditiones Ecclesijs obtrudere, atq;
in his tantum, vel etiam plus esse positum, quam
in Prophetiis & Apostolicis, hoc est, divinis scri-
ptis*

ptis affirmare non dubitarent, quid aliud cogitare
possumus? quàm aut priscum illud Epicureorum
genus revixisse, aut ex illorum cineribus novos
prognatos esse Epicuros, de quorum perfidia cum
multa mihi dicenda sint, nec nõ pro libertate Chri-
stiana aliquid: alterum à vobis peto Auditores,
ut me pro libertate vestra dicentem, benignè: alte-
rum ipse efficiam, ut contra novos Epicureos cum
dicam, attente audiatis. Simul etiam illud oro, si
meam, cum in omni vita, tam in dicendo simplici-
tatem candoremq; cognoscitis, ne me hodie aliquid
hac aetate inauditum atq; insolitum dicturum pu-
tetis, dicam tamen ea animi contentione, ut liber-
tatis Christiana me defensorem, & insania Epicu-
rea oppugnatorem esse, revera agnoscatis; quan-
quam animus mihi nunquam defuit, optatam ta-
men hac tempora occasionem obtulere, pro liberta-
te, quam Dei Filius suo sanguine & morte nobis
comparavit, adversus Epicureos dicendi. Multis
ab hinc annis, Auditores (ne mediocrem rem actã
arbitremini) fundamenta jacta sunt earum actio-
num, quibus non modo verbo, sed re ipsa, Epicureo-
rum, hoc est, papicolarum superstitio digna judica-
ta est, quæ extra humana societatis fines relegetur,
&

Et ego nunc multo sum erectior, quod vos quoque
sobrio isto tempore, decreta Et statuta Epicureo-
rum, non summum Bonum, sed summum malum
esse, tanto consensu statuatis, nec enim fieri potest,
ut non aut ij sint deplorandi, qui hoc tempore in E-
picureos invehuntur: aut illi infelices, quos jure
inclamamus. hanc igitur dubitationem, quanquam
nulla erat, tamen nequa possit esse, hodierno die de-
cidemus.

Divus Lutherus, qui Germaniam, liberta-
temque vestram, Dei consilio, auxilio, ope, suo denique
studio tutatus est, Et tutatur, multum profecto e-
laboravit, ut papicolarum conjurationes, Et nefa-
rios conatus dissiparet, nec non summum illud Epi-
cureorum malum e hominum pectoribus extirpa-
ret. Sed tanta est filiorum hujus seculi calliditas,
industria tanta, ut novos semper excogitare dolos,
novas invenire artes, novos advocare architectos,
conquassatos ac penè labentes jam spiritualis Sodo-
doma parietes resarcire nunquam desinant, donec
lapis ille Danieli monstratus, conterat Epicureo-
rum regnum universum. Laudo, laudo vos, Au-
ditores, cum gravissimis animis persequimini no-
men Epicureorum, Et luculento vestro silentio fa-

Etiam pulcherrimum Divi Lutheri comprobatis.
sunt enim facta ejus immortalitatis, & multis vo-
luminibus ab ipso editis satis confirmata. multa
memini, multa audiui, multa legi: nihil ex omni
memoria tale cognovi: qui cum servitute preme-
remur: & indies summum illud malum cresceret:
praesidij humani nihil haberemus: capitalem &
pestiferam Epicureorum ex Italia irruptionem ti-
meremus: hoc insperatum omnibus consilium, à
Deo accepit Lutherus, ut argumenta invicta ex
Apostolicis scriptis colligeret, Epicureorumq; fu-
rorem crudelissimis consilijs incitatum, à pernicie
Germania averteret. quis est enim qui hoc non in-
telligat? nisi Deus Ter. opt. max. Divo Luthe-
ro consilium immisisset, non sine exitio nostro futu-
ros fuisse Epicureorum conatus. ita enim venie-
bant ardentes odio vestri, cruenti sanguine Chri-
stianorum, quos in Italia, quos in Gallia, quos in
Hispania occiderant, ut nihil nisi de pernicie Ger-
mania cogitarent. quod autem erat praesidium sa-
lutis, libertatisq; vestrae, si D. Lutheri, vel Dei po-
tius consilium non fuisset? Cujus de laudibus &
honoribus, qui ei pro divinis & immortalibus me-
ritis, divini immortalesq; debentur, solent annis
singulis

singulis, magna cum solennitate, incredibili frequentia vestrum, amplissima & per elegantes orationes hoc ipso loco exhiberi. quae mihi videri solent quidam triumphus, de superatis, nec non profligatis Epicureis, de recuperata & in suum locum restituta libertate Christiana.

Venio nunc ad Heroes, qui Divi Lutheri, vel Dei potius, consilia secuti, strenuè sese Epicureorum dolis atq; insidijs opposuerunt; qui summū illud malum, doctrina pariter & disciplina è finibus suis excluderunt; qui Apostolicum sermonem omnibus superstitionibus Epicureorum anteponendum esse, summa cum virtute & auctoritate iusserunt.

Ac primo sese spectandum offert Fridericus tertius, cognomento sapiens, Saxoniae Dux, & in creandis Romanis Imperatoribus septemvir: cujus adhuc in ducali templo; ante aram, exuviae sepulchra jacent, & conspiciuntur ad parietes erectae statuae, expressaque ad vivum effigies. Hic est Fridericus ille Dux Sapiens, qui patriam salutem restituit: atque, ut olim Salomon Reges, sic postea iste Duces sapientia anteire cepit. & mihi videtur divinus hoc nomen

accc-

accepisse: quod hoc velut authore, sapientia fontes
primum repurgari cepti, postea fluxerint tanto pu-
riores. nam Deo feliciter annuente, iste fundamen-
ta jecit Academia hujus, in qua instituti non pau-
ci, maximos sapientiae proventus in alienas usque
terras deportarunt: eos intelligo, qui studendi ma-
gis, quam vagandi causa Vitebergam hactenus
appulerunt. quid dico de jactis Academia funda-
mentis? inspicite jam, non ex lapidibus erecta mo-
numenta, sed à doctissimis viris editos amplissi-
mos libros, atque adeo tot homines eruditione et au-
toritate claros, qui Friderici exemplo commoti, ad
ea fastigia erecti sunt, in quibus etiam nunc con-
spiciuntur, magnaque cum laude suas obeunt fun-
ctiones, ut jure quodam, summa ipsis reverentia
observantiaque debeat. Sunt deinde etiam alia
judicia, quae sapientiam sapientissimi istius prin-
cipis non obscure significant: inhabitare olim has
terras, hanc urbem, has domos, haec templa et aras,
Epicurei, qui gubernacula sua ita diviserant: ut
alii versandis poculis, instruendisque epulis occupa-
rentur: alii libidini et scortis darent operam: alii
otio, somno, jocis, bonas horas male perderent: alii
in aris ederent spectacula, nec non venales haberent
multas

multas devotiones: omnes ad unum pro retinenda
summo Malo, manibus pedibusq; laborarent.
intollerabilem hanc ^{αταξίαν} considerans Fridericus
sapiens, diuinum numen indies magis magisq; ir-
ruari, atq; ad indignationem provocari cognovit:
quare otiosos homines, vera ignorantia fratres, ob-
esos illos ventres, quorum hoc erat institutum, sine
legibus vivere, nimiam sanctitatem eructare in
templis, frustis esculentis vinum redolentibus to-
tum chorum implere, ac deniq; omne deliciarum
genus tentare, ne fortè memoria ipsis excidere pos-
set, se summum Bonum recepisse in vita sua:
hac, inquam, inutilia terra pondera, Christianissi-
mus princeps non inuitus abire permisit: ut his li-
berata oneribus V Viteberga, posthabitisq; san-
ctorum cineribus, ad Antiquum dierum viven-
temq; in secula, ora vultusq; suos attolleret, ut Soli
Deo, bonorum omnium & sapientia largitori, in-
defessas laudes accineret; quod Bruchos istos uni-
versam Ecclesiam depascentes, omnemq; vigorem
& succum relictis adhuc seminibus subducentes,
Spiritu oris sui eiecerit, fugarit, delegerit. praclara et
luculenta consensione vestra, Aud. orn. pulcherri-
mum factum, sapientissimi principis, probari vi-
deor,

B

deor,

deor, quod se ad Dei voluntatem, ad libertatem
vestram, ad universi populi salutem, pulchrè ac-
commodavit; hostes illos, & latrones, & parrici-
das patria excludens; idq; non animosè tantum
& fortiter, sed considerate etiam & sapienter ge-
rens: Priusquam virulentum, omnibusq; modis
detestandum illud Malum serperet latrus.

Hujus sapientissimi principis imitati virtu-
tem, Dux Iohannes, Friderici tertij frater, nec non
Fridericus quartus, Electoris Iohannis filius, qui
sui antecessoris Friderici tertij vestigia ingressi,
tanto ardore & alacritate animi, reviviscentem
sunt amplexi Religionem, ut nihil minus, quam de
revocandis Epicureis cogitarent. intelligebant
profectò sapientissimi Electores, summum Malum
pro summo Bono non esse eligendum; sed neq; in-
ter lucem & tenebras; inter Christum & Belial
esse posse firmam aliquam societatem: intellige-
bant etiam, si ejectos et profligatos jam Epicureos,
novis blanditijs lacefferent, fore ut non contenti
septem nequioribus se, sed accitis innumeris latro-
nibus, contra salutem patriæ, libertatemque ve-
stram venirent: & quod prius erat ratione qua-
dam curabile, tandem lethale vulnus fieret. quid
agerent?

agerent? nisi ut gladiatores, sicarios, & latrones
illos patria prohiberent: Germaniam quae antea
Epicureorum erat diversorium, postea Filij Dei,
& servorum ejus, domicilium constituerent. &
ubi prius strepebant omnia clamoribus seditiosorum
hominum; postea Evangelij vox clarissimè
personaret. quas olim barbaries, idololatria, &
universa libido occupabat, & conspurcabat urbes;
eas rursus purum Dei verbum, quasi torrens qui-
dam divinitus immissus, expurgaret. sed quae ex-
pectant Epicurei judicia graviora? principes fe-
runtur in calum, qui contra Epicuri somnia, pro-
vero Dei cultu objici solita, insurrexerunt: lau-
datur exquisitissimis verbis, Rev. Pater Luthe-
rus, qui tuas fraudes Latine deseruit; qui tuus
esset, site Christi gregis, quam rapacissimorum
luporum antesignanum maluisset: tuus esset, tuasque
Epicure voluptates, haud dubio, fuisset imitatus,
nisi saniora consilia secutus, summum illis Malum,
non summum Bonum, inesse censuisset: cujus in hunc
usque diem sententiam D E V S confirmat, ap-
probant principes, amplectitur universus populus
Germanus. nisi forte vos, Auditores, patriae de-
fensorem, non oppugnatorem judicatis Epicu-
rum? sic arbitrabar vos judicare, ut ostenditis.

B 2

urbes,

urbes, provincias, praefecturas, num aliter judicare censetis? omnes fideles una mente consentiunt, Epicureos, qui summum malum, summum Bonum; tenebras lucem appellant, in suo malo, suisque tenebris opprimendos & obruendos esse.

Quid justitia, moderationis, togata bellicaque virtutis laude cumulatissimi principis Mauritiij judicium? quod ex multis ejus decretis perspicere potuistis: cui tandem contemnendum videtur? rectè et verè negastis, Auditores. fuit enim quasi Deorum immortalium beneficio & munere, datus Reipub. Christiana inclytus princeps Mauritijs, Imperij Romani elector, qui in comitijs Augustanis, acriter & animosè restitutam Evangelij lucem, coram Imperatore Romano, defendit. quid igitur Elector Mauritijs de Epicureis judicavit? Lutherum et Melanchthonè, duo fulmina concessa divinitus, profligato catui Epicureorum perpetuò opponendos esse: Germaniam, ipsam sua sponte suoque judicio excitatam hortatus est, ut immanes & retros Epicureorum errores declinaret: cogitaretque sedulo, non esse motas quaestiones à Papicolis, de lana caprina, sed de summis rebus, summoque bono, in quo aeterna hominum salus verteretur: quo

quo posthabito, horrendis fascinati prestigijs homines, miseram servare servitutem cogerentur. Si inclytus princeps Mauritius propugnator libertatis vestra: capitales vestri hostes Epicurei: num igitur utrum horum sit, dubitare possumus? atq; ut vos una mente, unaq; voce vos dubitare negatis: sic reliqui mortales, Mauritium, Iohannem, & Fridericos, optime de Repub. Christiana mereri affirmant, quod electoralem dignitatem, populi Germani libertatem, imperiumq; defenderint. à quibus defenderint? nempe ab ijs hostibus, qui non modo urbes occupare domosq; diripere, sed etiam, proh dolor, ipsos homines in extremam perniciem secum abducere nitebantur. quæ autem præclarior esse potest defensio? cogitate.

Deinceps laudatur VViteberga, meritoq; ornatur verbis amplissimis, quod divinitus datum Apostolum, in nomine JESU receperit. Lutherum intelligo: quem si urbs ista Dei virum putasset, neq; eum recepisset, magno profecto scelere se obstrinxisset. omnes enim qui eos aspernantur, quos sciunt à DEO missos, DEUM ipsum sprevisse convincuntur. quod vero ad Epicureos attinet, parine jure retinendi erant, quo sunt exclusi? negat hoc VViteberga, atq; adeo Saxoniam totam, negat Misnia, Au-

stria, Pomerania, Borussia, Suecia, Dania, negat
cuncta Germania, negatis vos. quis igitur illos re-
tinendos, nisi latrones, putet? quanquam ne ij qui-
dem quod loquuntur, id sentiunt semper: nec à ju-
dicio omnium mortalium, quamvis impij nefa-
rijq; sint, sicuti sunt, desentire possunt. Sed spes fal-
lendi atq; pradandi occecat animos eorum: quos
non bonorum donatio, non agrorum assignatio,
non illa infinita Papa Romani premia satiare pos-
sunt. qui dū habent venale aliquid, vel quod rapi-
ant, nisi sibi defuturum suspicantur. qui sibi urbes,
bona, fortunas vestras ad pradam proposuerunt.
quibus enim princeps Epicureorum Papa (ò dij
avertite & detestamini quaso hoc omen) Germa-
niam totam se divisurum promisit? nunquid suis
Epicureis? sanè. ita verò Auditores, ut precamini
eveniat; quo hujus amentia pena, in ipsos Epicu-
reos recidat. quod ita futurum esse confido. jam
enim non solum homines, sed etiam Deos immor-
tales ad libertatem Christianam conservandam
arbitror consensisse. si enim prodigijs atq; portentis
dij immortales nobis futura predicunt: ita sunt
aperte denuntiata, ut & illis pana, & nobis liber-
tas appropinquet, si enim tanta veritatis lux, sine
impulsu deorum esse nō potuit: quid est quod de vo-
luntate celestium dubitare possimus? Reli-

Reliquum est, Aud. ut vos in ista sententia,
quam prae nobis fertis, perseueretis. faciam igitur,
quod Imperatores instructa iam acie solent: quan-
quam paratissimos milites ad praeliandum vide-
ant, ut eos tamē adhortentur. sic ego vos ardentis
et erectos ad libertatem conseruandam, adhorta-
bor. Non est, non est vobis, Auditores, cum eo hoste
certamen, quocum aliqua pacis conditio esse possit.
neque enim ille occulte, ut antea, sed aperto iam Mar-
te seruitutem vestram concupiscit. nullus ei ludus
videtur esse iucundior, quam cruor, quam cedes,
quam ante oculos trucidatio Lutheranorum. non
est vobis, Aud. contentio cum sceleratis hominibus,
sed cum immanibus tetrisque Beluis, Epicureis. in-
cumbite in causam tantam, ut facitis, et vestris
studijs, vestrisque ad Deū missis precibus, a finibus
Germaniae arceat summum illud malum. nunquā
inter vos consensus major in ulla causa fuit: nec
mirum: agitur enim non qua conditione victuri
sitis, sed victuri ne sitis, an cum supplicio summaque
ignominia perituri quamquam mortem quidem
omnibus natura proposuit: aeternam verò mortem,
aeternamque decus Fidei constantia propulsare
potest. quae Fides, in hac Academia suos ha-
bet patronos ac defensores. hanc retinete quaso
Aud.

19. 46. 88. 111.
Aud. quam vobis tanquam hereditatem majores
vestri reliquerunt. quanquam alia incerta, ca-
duca, mobilia sunt: Fides est una altissimis defixa
radicibus, qua nunquam ulla vi labefactari potest.
hac majores vestri caeleste numen sibi reddiderunt
propitium: adversus omnes impetus Epicureorum
se munierunt: potentissimos Reges, bellicosissi-
mas gentes in deditioem divini imperij redege-
runt: Epicureos ex his ipsis sedibus excluderunt.
Sic nefarium Epicureorum latrocinium, vestra
cum praeceptorum vestrorum concordia, tum illu-
strissimorum principum candore, brevi tempore
oppressum audietis. Equidem quantum cura, la-
bore, vigilijs, consilio eniti atque efficere potero: nihil
praetermittam, quod ad libertatem hanc retinen-
dam pertinere arbitrabor: neque enim aliud post col-
lata in me amplissima beneficia, sine ingenti scelere
facere possum.

D I X I.

M. C.

s
-
a
t.
nt
m
Si-
e.
t.
ra
u-
re
la-
hil
n-
ol-
re

ULB Halle 3
004 833 767



f



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

OK. 191.

ORATIO PRIMA

De

REFORMATIONE
RELIGIONIS, FACTA DEO FA-
VENTE PER D. LVTHERVUM, RECEP-
TA ab Academiis florentissimis, approbatâ nec
non confirmatâ ab illustrissimis Germa-
niæ Principibus.

Habita

à

M. PETRO STÆRMONTIO,
Generosiss. Proc. Super. Aust.
Alumno,

IN CELEBERRIMA ACADEMIA
Vitebergensi, in Auditorio majore Collegij novi,
applaudente honestissimorum doctissimorumq;
juuenum corona.

Ad imit. IV. Philicent. Ant. facta.



WITEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri, Anno 1597.

